

illum proxima materia, circa quam hæc doctrina versatur, innotescit. Gratia namque et ejus collatio est veluti fundamentum illius respectus a quo Deus extrinsece denominatur sanctificator, ideoque, cognita ipsa gratia, Deus sub ratione sanctificatoris cognoscitur, neque aliter cognosci aut explicari potest. Ex quo facile intelligi potest quam sit excellens, quamque propria Theologici instituti hæc doctrina. Primo quidem quia hæc gratia supernaturale donum est, quod nisi per divinum lumen fidei cognosci non potest. Deinde quia semen est gloriæ, et fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam, quam homines infirmi et imbecilles, nisi per divinæ gratiæ virtutem comparare non valent. Denique quia ipsius Dei cognitio, quam Theologia præcipue intendit, per hanc gratiæ doctrinam magna ex parte perficitur. Unum enim ex præcipuis Dei operibus est, homines gratis et per gratiam suam justificare, teste Paulo ad Rom. 3, et ideo solus ipse sanctificator et justificator hominum appellatur, quia sicut solus potest homines beatos efficere, ita etiam solus potest eosdem sibi gratos reddere, juxta illud : *Gratiam et gloriam dabit Dominus*. Unde etiam fit ut per divinæ gratiæ cognitionem universa fere Dei attributa mirum in modum illustrentur. Deus enim, gratiam suam gratis donando, liberalitatem suam infinitam excellentiori modo quam per alia opera manifestat : dumque illam, prout vult, distribuit, absolutum se suorum donorum dominum ostendit, et quoniam non solum amicis sed etiam inimicis illam donat, eos de peccatoribus faciens sanctos, omnipotentiam suam, ut canit Ecclesia, ac misericordiam, parcendo maxime et miserando, manifestat. Ac denique dum per gratiam suam humanæ voluntati dominatur, ejusque salva libertate quo vult efficacissime pertrahit, summam sapientiam suam, ac potentissimam voluntatem notissimam facit.

5. Atque ex hoc objecto et materia habet imprimis hæc doctrina in Theologia singularem dignitatis gradum, quoniam et Deum sub excellenti quadam ratione primi principii, et benefactoris hominum contemplatur, et in explicatione illius doni, quo divinæ naturæ divinarumque virtutum participes efficimur, potissimum versatur. Et hinc magnam etiam utilitatem habet : ostendit enim nobis adipiscendæ beatitudinis viam, simulque infirmitatis nostræ nos monet, et ad divinum auxilium continuis precibus postulandum inducit. Est etiam Catholico Doctori hæc doctrina maxime necessaria ad resistendum hæreticis, qui innumeris erroribus et objectionibus veritatem catholicam obscurare et evertere conati sunt. Atque hinc tandem difficilis valde et scopulis plena est præsens disputatio, tum quia in rebus maxime divinis, et spiritualibus, et internis, quæ sub experimentum vix cadunt, internoscendis versatur; tum quia gratiæ efficacitatem et necessariam cum libertate arbitrii compositionem et concordiam inquirat, quod semper arduum et difficile judicatum est. Nam, ut dixit Augustinus : *Ipsa etiam ratio quæ de his rebus, a talibus quales nos sumus, iniri potest, quemlibet nostrum quærentem vehementer angustat, ne sic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur; rursus liberum ne sic asseramus arbitrium, ut superba impietate ingrati Dei gratiæ judicemur* (l. 2 de Peccat. merit., c. 18). Quæ quidem obscuritas et difficultas mirum in modum aucta est, non

solum ex variis et extreme contrariis hæreticorum erroribus, sed etiam ex concertationibus inter Catholicos subortis : nam licet omnes media ac regia via incedere nitantur, quia tamen illam arctam et angustam hæretici reddiderunt, vix possunt iter peragere, quin ad dexteram vel ad sinistram declinare videantur.

6. Et hinc orta est hoc tempore celebris illa controversia, quæ a viribus liberi arbitrii et divinis auxiliis nomen obtinuit. De qua licet in aliis libris jam antea multa disputarim, in hoc ultimam ei manum imponere decrevi, tum quia a disputatione de gratia separari non potest, tum etiam quia post libros illos editos multi doctissimi viri illorum doctrinam evertere contrariamque modis omnibus persuadere conati sunt. Quorum præcipua scripta attente perlegi, nullo profecto contradicendi studio, sed summo veritatis intelligendæ desiderio : nihil tamen inveni quod vel a priori sententia nos posset dimovere, vel difficultatibus nostris satisfaceret, aut modum expeditum ad innumeros vitandos labyrinthos, et nodos nobis inextricabiles dissolvendos suggereret. Quam ob causam iterum eandem disputationem aggredi, et pro viribus difficultates omnes expendere decrevi. Unde fieri non poterit quin opus hoc fortasse plus justo crescat. Ut tamen lectori minus sit onerosum, illud in duas præcipuas partes dividemus. Prior erit de controversiis hujus temporis circa vires liberi arbitrii et auxilia gratiæ quibus ad bene operandum juvatur, ideoque pars hæc de actuali gratia inscribi poterit. Altera pars erit de gratia habituali, et causis ac effectibus ejus, sub quibus justificatio et meritum comprehenduntur. Atque ita in hac doctrina tradenda nihil vel parum a D. Thomæ ordine seu methodo discedemus; nam in priori parte, cum infirmitate arbitrii necessitatem gratiæ, de qua D. Thomas quæst. 109 disputat, ostendemus; explicando vero auxilia gratiæ, nonnullas divisiones ejus, quas divus Thomas, quæst. 111, tradit, et alias quæ a Theologis adduntur, pertractabimus. In altera vero, cætera, quæ D. Thomas in aliis quæstionibus disputat, eodem fere ordine locupletabimus.

7. Prius vero quam utramque partem aggrediamur, ut clarior et expeditior sit doctrina, nonnulla prolegomena præmittenda duximus, quibus et termini sine ambiguitate exponantur, et nonnulla necessaria fundamenta jaciantur. In primo itaque de natura et libero arbitrio, quod est gratiæ fundamentum, præcipua quædam principia et imprimis necessaria præmittemus. Et quoniam præcipue difficultates circa usum libertatis ex necessitate gratiæ vel motionis divinæ oriuntur, et hæc pendent ex modo præscientiæ quam Deus habet de futuro consensu liberi arbitrii, ideo secundum prolegomenum de præscientia Dei liberorum actuum sub conditione futurorum præmittemus; nam per occasionem hujus concordie gratiæ cum libero arbitrio contentio de hac præscientia orta est, in qua necessarium nobis est sententiam nostram præmittere ac fundare, ne postea necessarium sit, vel ad aliam disputationem digredi, aut ex fundamento non probato ac defenso sæpissime loqui. Deinde vero tertio loco usum nominis *Gratia*, et varia membra seu significata illius exponemus, ut quasdam gratias vel faciliores, vel præsentī instituto minus convenientes, breviter expeditamus;

aliarum vero, de quibus tractandum est, nomina in promptu sint, ut sine verborum ambiguitatibus pervia sit disputatio.

8. Quarto vero loco, quoniam humana natura in diversis statibus inveniri potest, in quibus non easdem vires habet, ideo consequenter varios status humanæ naturæ, ejusque liberi arbitrii exponemus. In quinto vero, errores omnes, qui in hac materia fuerunt, accurate referemus, quia eorum notitiam, non solum ad illos cavendos et impugnandos, sed etiam ad intelligenda Concilia et Patres, necessariam esse existimamus: quia cum Concilia et Patres, ad extirpandos illos errores, in sensu illis contrario locuti fuerint, sæpe fit ut, ex ignoratione ipsorum errorum, sententiæ Patrum ad peregrinos sensus et ab illis non intentos detorqueantur. Unde tandem in sexto prolegomeno, Pontificum, Conciliorum et Patrum auctoritatem, qua potissimum in hoc opere nobis utendum est, proponemus. In toto vero hoc opere ab omni exaggeratione in nostris sentiis affirmandis, et ab omni censura in contrariis rejiciendis abstinemus. Quia vero in probationibus ex Conciliorum definitionibus, vel per illationem ad incommodum, videri possunt contrariæ sententiæ, vel ut definitionibus Conciliorum contrariæ, vel ut dogmata ex quibus errores contra fidem sequuntur, reprehendi, lectorem monemus id longe a nobis esse; id enim non ut censura vel iudicium de qualitate et gradu falsitatis contrariæ sententiæ accipiendum est, sed solum per modum argumentationis, cujus vis sæpe non potest aliter explicari.



INDEX

LIBRORUM ET CAPITUM

HUJUS VOLUMINIS.

PROLEGOMENUM I.

DE REQUISITIS AD FORMALEM LIBERTATEM, ET USUM
LIBERUM.

- CAP. I. De nominibus naturæ et liberi arbitrii. 1
CAP. II. Quæ sint necessaria, ut potentia sit libera et libere operetur? 4
CAP. III. Utrum recte describatur potestas libera esse, quæ positis omnibus prærequisitis ad agendum, potest agere et non agere? 10
CAP. IV. Utrum voluntas exposita, cum omnibus prærequisitis ex parte intellectus ad libere volendum, possit a Deo ita moveri, ut ex necessitate, et non libere velit? 16
CAP. V. Quibus modis possit Deus facere ut voluntas necessario velit objectum actuali iudicio rationis indifferenter propositum? 24
CAP. VI. Quæ necessitas antecedens, vel consequens, seu in sensu composito vel diviso, repugnet libertati, aut illi non noceat? 33

PROLEGOMENUM II.

DE SCIENTIA QUAM DEUS HABET DE LIBERIS ACTIBUS SUB
CONDITIONE FUTURIS, PRIUS RATIONE QUAM ABSOLUTE FU-
TURA COGNOSCAT.

- CAP. I. Sensu et statu controversiæ proposito, variæ sententiæ cum suis auctoribus referuntur. 46
CAP. II. Deum habere certam et infallibilem scientiam futurorum contingentium conditionatorum ex Scriptura, prout a Patribus intellecta est, ostenditur. 51
CAP. III. Plures ex Sanctis, et antiquis Patribus scientiam conditionatam in Deo cognovisse, præsertim Augustinum, et nullum eorum illam Deo negasse. 58
CAP. IV. Neque in Augustino, neque in aliis Patribus aliquid contra perfectionem divinæ scientiæ conditionatæ reperiri. 66
CAP. V. Deum habere conditionatam scientiam futurorum ante decretum liberum suæ voluntatis secundum rationis ordinem, nec posse talem scientiam in tali decreto fundari, ex eisdem Scripturæ et Patrum testimoniis ostenditur. 71
CAP. VI. Quid de hac scientia conditionata D. Thomas senserit? 79
CAP. VII. Ratione a priori ostenditur dari in Deo conditionatam præscientiam, et principali fundamento contrariæ sententiæ occurritur, veritasque talium propositionum declaratur. 85
CAP. VIII. Quæ decreta conditionata et libera Deo attribuenda sint, et in illis non posse contingentia sub conditione futura præscribi? 96

- CAP. IX. Nonnullis objectionibus occurritur, earumque occasione doctrina data magis declaratur, et veluti in summam redigitur. 107
CAP. X. Alteri objectioni occurritur, et an scientia visionis sit causa futurorum, explicatur. 112

PROLEGOMENUM III.

DE COMMUNI RATIONE GRATIÆ, ET VARIIS MODIS SEU
MEMBRIS AUT SIGNIFICATIS EJUS.

- CAP. I. An gratia, de qua in præsentibus agitur, sit donum Dei gratuitum? 130
CAP. II. Utrum omne donum gratuitum sit vera gratia Dei et Christi? 132
CAP. III. Utrum gratia non solum creatum donum, sed etiam increatum significet; nec solum internum, sed etiam externum? 136
CAP. IV. De divisione gratiæ in gratis datam, et gratum facientem. 142
CAP. V. Quot sint gratiæ gratis datæ; et quid unaquæque earum sit? 149
CAP. VI. Quotuplex sit gratia sanctificationis, seu gratum faciens; et de variis hujus gratiæ significationibus? 172

PROLEGOMENUM IV.

DE STATIBUS HUMANÆ NATURÆ.

- CAP. I. An possit homo in statu puræ naturæ creari in ordine ad finem supernaturalem? 179
CAP. II. Utrum potuerit homo in statu puræ naturæ creari in ordine ad naturæ integritatem; et consequenter an potuerit cum illa integritate creari? 186
CAP. III. Utrum status innocentie seu originalis justitiæ ultra statum puræ et integræ naturæ aliquid agat? 190
CAP. IV. Qualis sit gratiæ status, et quomodo cum aliis conjungi vel ab eis separari possit? 194
CAP. V. An status gratiæ et originalis justitiæ per eandem formam constituentur, ac subinde quomodo separari possint? 196
CAP. VI. Quis et qualis sit status hominis in natura lapsa? 199
CAP. VII. Utrum homo in statu naturæ lapsæ careat libertate, quam in sua pura natura haberet? 202
CAP. VIII. Utrum in statu naturæ lapsæ homo sit intrinsece debilior ad operandum bonum, quam esset in statu puræ naturæ. 206
CAP. IX. Utrum in statu naturæ lapsæ debilior sit homo ad operandum, quam in pura natura, saltem ob causas extrinsecas? 213